Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



illa ut in die sepulture mee: seruet illud. Pauperes enim semper habetis uobiscum. me autem non semper habebitis.
Cognouit ergo turba multa ex iudeis quia illic est: Et uenerunt non propter iesum tantum sed ut lazarum uiderent quem suscitauit a mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum: ut et lazarum interficerent quia multi propter illum abibant ex iudeis et credebant in iesum. In crastinum autem multa turba que uenerat ad diem festum: cum audisset quia uenit iesus iherusalem: acceperunt ramos palmarum: et processerunt obuiam ei. et clamabant. osanna benedictus qui uenit in nomine domini rex israhel.
Et inuenit iesus asellum et sedit super eum sicut scriptum est. Noli timere filia sion: ecce rex tuus uenit sedens super pullum asine. Hec non cognouerunt discipuli eius primum. sed quando clarificatus est iesus tunc recordati sunt quia hec erant scripta de eo et hec fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba que erat cum eo quando lazarum uocauit de monumento et suscitauit eum a mortuis. Propterea et obuiam uenit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisei autem dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus: Ecce mundus totus post ipsum abiit. Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad philippum qui erat a bethsaida galilee: et rogabant eum dicentes. Domine: uolumus iesum uidere. Venit philippus et dicit andree. Andreas rursum et philippus dixerunt iesu. Iesus autem respondit eis dicens. Venit hora ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico uob